11

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE

CONVENIENTIA MEDICINÆ CUM THEOLOGIA PRACTICA,

Quam
AUSPICE DEO PROPITIO,
Ex Consensu atque Auctoritate Gratiosæ Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
PRÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI
SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE
PUBLICO ORDINARIO, ETC.
DECANO H. T. SPECTATISSIMO,
Domino Patrono, Præceptore ac Promotore suo omni honoris cultu prosequendo
PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
LEGITIME IMPETRANDIS,
HORIS LOCOQUE CONSUETIS
ANNO MDCCXXXII. D. DECEMBR
PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET
AUCTOR RESPONDENS

JOACHIMUS ABRAHAMUS Rothe,
CHRISTIANOP. LUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.



Q. D. B. V.



Ietatem ad omnia utilem esse, non solum Sacræ nos docent paginæ, verum etiam experientia per omnes hominum actiones consulta confirmat, & ratio brutæ animalitatis jugo exuta corroborat. Si enim etiam consideremus eos qui lumine cœlitus revelatarum veritatum caruerunt, nonne & ipsi Ethnici ex legibus, quas natura & sana ratio ipsis suppeditarunt, monent, juste pie atque honeste esse vivendum? nonne ipsa multorum vita Philosophorum his legibus respondet, quantum quidem ipsis licuit, sola ratione ducti, in via progredi recti? Nos jamjam non vagabimur ultra nostros circulos, nec evolvemus omnes utilitates, quæ pietatem excipiunt in hoc ævo, nec quale præmium ipsam sit insecuturum in ea, quæ post interitum rerum mundanarum succedet vita, perscrutabimur, quas meditationes

Theologorum indagationi relinquimus: ſed pietatis utilitatem in foro medico præſenti tractatione duntaxat conſiderabimus. Aſt nec hic in ampliſſimum medicinæ campum excurrere placet; verum illorum tantummodo reminiſcemur emolumentorum, quæ in Medicinam, ut vocant, Clinicam, ſeu Praxin Medicam ex pietate redundant. Hoc reſpectu notum eſt inter omnes, verum ac ſolitarium praxeos medicæ finem eſſe conſervationem illæſæ, ac reſtitutionem deperditæ mortalium ſanitatis. Ultima ſtrictiori praxeos adpellatione triplex ordo hominum in plerisque morbis ſe nobis ſiſtit: adeſt enim ſubjectum morbi ſeu æger; adeſt medicus; adſunt illi qui officiis ægri inſerviunt. De medico an debeat eſſe pius, non fere eſt, cur quæramus, cum ipſa res affirmativam defendat. Etenim ipſi olim in ſpiſſis ethnicismi tenebris conſtituti Philoſophi ac Medici τὸ Θεῖον in multis morbis meditati, admirati & venerati ſunt, adeo ut *Hippocr. Libr. de dec ornam.* profiteatur, quod Medicina Deos reverenter habeat, quia multa in morbis moliantur. Sed nos de hoc Medici præcipuo requiſito, quod & ipſi & ægroto utilitatem affert, non agemus, potius inter illos qui de hac re prolixius commentati ſunt, *Dn. Præſidis* varias Diſſert. *de Conſcientia & religione Medici* &c. eundem in *Medicina Theologica; Dethardingii Tr. de pietate medici* & *Bohnium de Officio med. dupl. P. I. Cap. IV.* commendamus.

Quid vero de Adſtantibus judicandum? Idem ſane. Prætermiſſis enim cauſis generalioribus, proximius

ximius ex ipſo officio quod in ſe ſuſceperunt eorum pietatis neceſſitatem & utilitatem medicam apparere exiſtimo. Siquidem, quando quispiam dolorum acerbia ac vehementia ita vexatur, ut perpetuo jectitabundus nullum quietis locum reperire queat, cui inter continuos ejulatus ac clamores leviſſima quæque ſtomachum movent: quæ damna, quales dolorum exacerbationes experietur, ſi adſtantes majori, quam ipſe, laborant impatientia? Quid valeat bonum in morbis regimen, minime quidem hujus loci eſt diſſerere, aſt, quisnam quæſo majori fidelitate hoc regimen dirigere poterit, quam probus, qui proximum ſuum ſicuti ſe ipſum diligit? Ex hiſce, ulteriorique meditatione facile eluceſcet, quanta emolumenta & ex parte Medici & ex parte adſtantium in curandis ac allevandis mortalium ægritudinibus pariat pietas. Præter hæc omnia vero ipſius ægroti pietas optimum ei erit ſcutum atque præſidium, quo non ſolum ſeſe in ſanitate conſervare, verum etiam a morbis præſervare, & tandem ipſos morbos ſi non penitus debellare, ſaltem leviores & tolerabiliores reddere poterit. Et hæc materia anſam mihi dedit conſcribendi Diſſertationem Inauguralem, idque eo magis, cum me de reali Nexu & Convenientia Theologiæ & quidem præcipue Practicæ cum Medicina Practica reddiderit quam certiſſimum, quodque prius ſtudium ob impedimenta nullo modo removenda, non quidem amplius publice profiteri, attamen maxima animi reverentia ac veneratione veritates divinas in illo aſſervatas ætatem

tem colere mihi concessum sit. Faxit itaque Deus, summus rerum arbiter, ut hæ meæ primitiæ eum, quem intendunt, adipiscantur finem.

§. I.

PRiusquam igitur ipsam aggrediar tractationem, præmittam aliquam tituli & notionum sub eo contentarum explicationem. Quid sub medicina intelligam, cuilibet cognitum erit, nempe illam rationalem ac judiciosam artem quæ versatur circa sanitatem hominum conservandam, a morbis præservandam, & læsam restituendam: Theologia vero Practica in eodem a me sumitur significatu, quo pietatem in ante dictis adhibuimus, ut adeo Theologia practica ac pietas mihi sint synonyma: est vero pietas ille habitus, quo vitam ac actiones nostras secundum voluntatem & leges divinas instituere summo allaboramus studio. quomodo vero iste habitus non nisi per auxilium divinum ac Spiritus S. illuminationem acquiratur, nos non explicaturi Theologis relinquimus: interim *Celeberrimus B. Buddeus in Elem. Philos. Instr.* jam de Philosophia practica *C. I. §. VII. p. 5.* egregie asserit: quod per humani generis conditionem finem suum sine lumine revelationis assequi nequeat. Hanc pietatis significationem veteres philosophi ethnici per nomen sapientiæ & virtutum indigitare voluerunt, ignari vero genuini omnium virtutum fontis, nonnulli quidem illorum aliquando tales se præstiterunt, quales mireris, si modo vera, quæ tam mirifice de illis ab auctoribus prædicantur laudanturque; nihilo tamen minus fa-

ten-

tendum est, vel, tantummodo pravos affectus mutasse & superasse cum aliis itidem malis, utpote voluptatem cum superbia, & sic porro; vel, certe eo non pervenisse in tramite virtutum, quo illuminatione divina ducti, potuissent penetrare. attamen omnino non spernendos ex naturalis moralitatis usu atque exercitio perceperunt fructus, quod scil. concernit corpus ejusque conservationem, sicuti *Plato de Repl. L. III.* quoque testatus est, dicens: Mihi quidem videtur animus bene affectus vi sua corpus, quoad fieri potest, optimum reddere. Interea, cum iis, quas ex naturali vi consequuti sunt, virtutibus id effecerunt, ut magnas inde in sanitate sui corporis perceperint utilitates, quanto magis ii, qui naturales hasce virtutes per divinam illuminationem longe magis excoluerunt, ac emendarunt, præ aliis sanam tranquillam & longam vitam, quam ex innato quasi instinctu omnes mortalium tam anxie anhelamus, sibi polliceri poterunt.

§. II.

Ast non solum sanam conservabunt vitam, sed, licet etiam nonnunquam morbis infestentur, quos penitus evitare culpa peccati haud permittit, omnium facillime dolores, morbos, mortem ipsam perferunt & superant Pii, quod maxime simul patet ex facta comparatione & consideratione naturæ humanæ corruptæ, & consectariorum, quæ quotidie exinde videmus, noxiorum in statum corporis humani, tam sanum, quam morbosum. Hoc penitius examinaturus, tribus membris considerabo pietatis cum medicina convenientiam; primo scilicet, in conservanda sanitate; secundo in præservatione a morbis; & tertio in perferendis & curandis morbis.

§. III.

§. III.

Sanitas ergo nihil aliud eſt, quam conveniens actionum homini propriarum adminiſtratio per partes organicas integras & illæſas. Actiones hæ vulgo functiones nominatæ, diſtinguuntur in vitales, animales & naturales. Quarum cauſa efficiens eſt natura humana, cui almus creator potentiam dedit corpus ſuum movendi, a corruptione, ad quam perpetuo inclinat, præcavendi, & ab injuriis externis defendendi. quia vero hoſce fines absque mediis obtinere non poteſt: cauſæ inſtrumentales ac media, quibus ſanitatem ſui corporis conſervare poſſit, ſunt res illæ non naturales dictæ, legitimo uſu ac ordine adhibitæ. Quemadmodum itaque hisce duobus momentis ſanitas mortalium conſervari poteſt, anima in corpore ſana, & legitimo rerum non naturalium uſu: ita etiam horum inordinatus ac irregularis ſtatus inter maxime arduas ac efficaces cauſas morborum referendus eſt. Plurlmæ vero harum cauſarum ita ſunt comparatæ ut earum legitimus ac illegitimus uſus in libera hominum voluntate ſit poſitus. Et hic mox apparet fundamentum, quod ſæpius ipſe homo, uti ſuæ fortunæ ita & ſanitatis faber ſit, ſalvo tamen generali divino rerum humanarum moderamine.

§. IV.

Quod ergo animam attinet, experientia conſtat, ipſam vitam & ſanitatem ita eſſe comparatam uti illam: Conf. *Dn. Præſid. Diſſ. de Mente ſana in corpore ſano;* & *de morum & morborum nexu.* quod ſi hæc tranquilla atque moderata ſit, inveniemus, ſanitatem etiam eſſe tranquillam, ac omnes actiones humanas moderate procedere, non ſolum in ſtatu ſano verum etiam ipſo morboſo:

con-

contra vero ſi anima aut nimium vehemens, præceps, aut timida, meticuloſa, diffidens, aut laſſa, pigraque exiſtit, omnes motus ita pariter erunt comparati. Quum vero ulterius experientia edoceamur eam ſanitatem eſſe optimam, qua motus ac actus vitales in temperato moderamine ac juſta tranquillitate peraguntur: ſponte ſequitur, quod tranquillitas animæ eximium momentum in conſervanda ac reſtituenda conferat ſanitate. Jam vero, quis frui poteſt hoc veterum Philoſophorum quæſito, aſt non invento ſummo bono? unico hoc innititur fundamento, quod eſt pax cum Deo: hac nullus philoſophus, nullus naturalis homo gaudere poteſt, niſi pius, cui per fidem in Chriſtum Salvatorem remiſſa ſunt peccata. Hinc patet eximius nexus pietatis cum medicina: quicunque enim pius eſt, ei remiſſa ſunt peccata, is cum Deo pacem habet, hinc perpetua gaudet animi tranquillitate & exinde eximio ſanitatis vigore. de hac re egregias meditationes ſuppeditat *B. Richterus Tr.* von Erkenntniß des Menſchen *P. I. C. XIX. p. 455. ſeqq.*

§. V.

Hæc igitur tranquillitas nunquam eſt naturalis, ſed per divinam obtinenda gratiam; ſine illa vix fieri poteſt, quin ipſa anima, quæ alias conſervatrix vitæ ac ſanitatis eſt, propter pravam indolem, quæ partim ex hæreditaria diſpoſitione & naturali temperamento, partim prava educatione & hinc aſſumtis malis conſuetudinibus ei fere inevitabilis eſt, multam labem corpori ſuo inferat. Sua enim natura anima poſt lapſum corrupta eſt, non ſolum in ſpiritualibus, verum etiam in naturalibus, & non ſolum erronee agit ratione intellectus, ſed prave etiam ratione

voluntatis. Sic ipſum naturale temperamentum ſæpius efficax eſt in turbanda ſanitate, ac deteriorandis morbis, quod vero homo pius ſolus corrigere valet ac emendare, ut inde ex furente Saulo placidus reddatur Paulus: corrigere porro valet non ſuis ſed divinis viribus pravos mores ac malas conſuetudines, quæ ex educatione in homine naturali ſæpius altas agunt radices ac magnum momentum in turbanda ſanitate conferunt. Et quemadmodum tria ſumma ſunt voluntatis vitia, quæ naturalem hominem ſub imperio ſuo habent, nempe avaritia, ambitio, & voluptas, ita & his pietas unica mederi poteſt. Sed dices forte, quid hoc ad Medicinam? O multum ſane, quantas enim turbas hæc vitia tam in ſanitate quam morbis producere valeant, ex ſequenti tractatione paſſim eluceſcet.

§. VI.

Poſtquam igitur breviter oſtenſum fuit qualem nexum & convenientiam pietas in ſanitate conſervanda habeat ratione ipſius animæ; jam etiam idem commonſtrabo ratione legitimi uſus rerum non naturalium. Hæ dicuntur illæ, ſine quibus vita noſtra conſiſtere non poſſet, & ſex vulgo numerantur, nimirum aër, cibus & potus, quies & motus, ſomnus ac vigiliæ, excreta & retenta, ac animi pathemata. Licet vero inter has res quædam ſint, quæ prava ſua indole citra culpam hominis eidem damna inferre poſſunt, v. gr. aër impurus, malignus, peſtilentialis, cibi venenati &c. attamen plurimæ ita ſunt comparatæ, ut, ſi noceant, noxæ ſuæ fundamentum in ipſius hominis prava voluntate habeant. Hoc ut eo melius eluceſcat, conſiderabo ſingulas, & ab animi pathematibus initium faciam.

§. VII.

§. VII.

Animi affectus in se spectati, moderati, adeo sunt necessarii, ut ne vita quidem nostra sine illis possit consistere, si enim v.gr. non adesset amor, nec adversa tolerarentur; nisi adesset zelus, nec ea quæ nocent averterentur; nisi adesset timor, nec locum inveniret providentia, & sic vita non diu vigeret. Eo sensu noluit Deus animam nostram sine affectibus esse: quapropter etiam actiones christianæ mox in amore, mox in timore aliisque affectibus ut peragantur, divina jubet voluntas. Ast proh dolor! cum post generis humani miserandum lapsum anima tota corrupta fuit; evenit ut hodienum adfectus plerumque nil nisi effectus pravæ voluntatis ac immaturi judicii sint. Hinc in vulgus etiam notum est, quanta damna in lædenda sanitate, morbis producendis, alendis, corrumpendis ac pervertendis producere valeant animi pathemata. Quales noxas ut penitius evolvam, per nonnullas horum pathematum species transcurram, earumque indolem indagabo.

§. VIII.

Iræ nexus cum œconomia corporis medice consideratus, non alius est, quam excessus motuum vitalium, quo fit, ut humores magna copia ad exteriores potissimum partes propellantur, ipse sanguis summa cum vehementia moveatur, hinc ignis & furor quasi ex oculis scintillent, cui accedit etiam partium solidarum irregularis & excessivus motus: & quid nunc ex tanta vehementia & irregularitate motuum vitalium boni sperandum? Etiamsi quidem non negandum sit, fieri nonnunquam, ut salutaris effectus ex iracundia in sanitatem hominum resultet:

quemadmodum ſic *Valleriola L. II. obſ. IV.* Iram paralytico motum; *Bartholinus Actorum Haffn. Vol. I. Cap. 81.* muto loquelam reſtituiſſe; *Hildanus Cent. I. obſ. 79.* arthriticum ſanaſſe, perhibent: attamen ex particulari & accidentali ejusmodi effectu rariſſime eveniente non ad univerſalem uſum valet conſequentia. Nonne enim exempla plura in contrarium, de epilepſia, contractura, apoplexia, ſubitanea morte ab iracundia ortis frequentiſſima ſunt? qualia videantur v. gr. apud *Roderic. a Caſtro L. 3. de Meteoris microcosmi*, *Horſtium Obſ. L. 3. obſ. 8. Sennertum L. V. praxeos*, *Camerarium Memorab. Med. Cent. X. ſſ. 52. aliosque.* Quin, qualem venenatam efficaciam humores ex iracundia contrahant, exempla miſerorum infantum ex ira matris epilepticorum, ac ſymptomata eorum, qui ab iratis aut hominibus aut brutis morſi ſunt, abunde teſtantur.

§. IX.

Terror conſiſtit medice in retropulſione humorum a peripheria corporis ad centrum, ac conſtrictione partium ſolidarum: accedit obſtupeſcentia, ut neſcii quid faciant homines muti plane & rigidi reddantur. Inde ſumma naſcitur motuum vitalium anomalia: licet enim paſſim proſtent caſus, quod per terrorem paroxyſmi febrium quartanarum, arthritidis, podagræ, aliique morbi profligati fuerint; longe tamen plura & certiora occurrunt exempla, ubi per terrorem palpitationes cordis, lipothymiæ, ſyncoptici affectus, epilepſiæ, apoplexiæ ac ipſa ſubitanea mors producta fuit.

§. X.

Curæ, ſollicitudines, ærumnæ, triſtitia magis chronica

nica ſunt animi pathemata, quibus motus ſolidarum æque ac fluidarum partium ſucceſſive langueſcit. Quid inde boni expectandum? contabeſcunt ejusmodi homines ærumnis quotidianis vexati, ac viva quaſi redduntur ſceleta, humores redduntur ſpiſſi, inde morbi oriuntur lenti, gliſcentes, occulti, majori pertinacia ægrum excruciantes. Lætitia ac gaudium vero eſt reaſſumtio quaſi debilis ac languidi hactenus motus, attamen ſi nimia illa ſit, varias quoque morbos, ipſamque ſubito mortem producere valet, teſtantibus id variis auctorum obſervationibus.

§. XI.

Ipſe amor inordinatus varios ſonticos effectus œconomiæ vitali inferre poteſt; præcipue ſi in ipſam erumpit libidinem. Hæc eſt quæ legibus divinis contrariatur, & quæ ſanitati eximium inferre poteſt detrimentum. Nonne enim ex libidinoſis cogitationibus ac actionibus nimius humorum orgaſmus, irregularitates motuum vitalium, imo ipſi maniaci ac furibundi enaſcuntur affectus? Nonne debilitates partium nervoſarum, relaxationes glanduloſarum, deperditio virium & alacritatis mentis, emaciationes &c. inde producuntur? quin ſæpius impuras ejusmodi actiones talis etiam pœna inſequitur, ut affectus ſcabioſi venerei & honeſtis deteſtabiles tandem eveniant.

§. XII.

En igitur! quam fœcunda morborum mater ſint animi pathemata! hoc cum conſideres, mox invenies, quantam convenientiam pietas habeat cum medicina, quodſi enim perſcruteris; ubi offendis exceſſum pathematum animi majorem, ac in impiis? imo, ubi dominantur vere? profecto in eosdem tanquam mancipia. Talis

lis homo, si audit de gubernatione sui ipsius & refrenatione affectuum, vel omnino ludibrio habet, impossibile esse ratus, ut illi coerceantur, vel, dum affirmat & fingit facultatem efficiendi, reipsa nil aliud præstat, quam ut diabolum beelzebub expellat, id est, vitia atque peccata tantummodo permutet. Pius contra solus regeneratione acquirit vires, malum quod in se sentit, licet non penitus exstirpandi, certe tamen subjugandi. Quicquid præterea etiam naturalis homo in domandis affectibus valuerit, (uti de quibusdam philosophis traditur) extra omne tamen dubium positum est, eundem eó pervenire non potuisse, quo pertigisset, si revelatio, illud vere divinum remedium, naturale emendasset, sanctificasset auxissetque, ita ut omnino ex dictis elucescat, quod homo pius magnam præ aliis habeat præcellentiam in conservanda sua sanitate ratione animi pathematum.

§. XIII.

Verum enim vero inter eos antea recensitos animi affectus, terror quibusdam noxia sua in sanitatem efficacia etiam piis videri posset inevitabilis. Attamen, si illum paulo penitius consideremus, inveniemus per attentam experientiam, quod terroris quasi individuus comes, timor aut anxius metus sit, & quod illi, qui scelera aut crimina commiserunt adhuc occulta, ex eo timore, quem, ne facinus suum manifestetur, habent, ex levissima causa non solum terrorem concipiant, verum etiam majora præ aliis inde experiantur damna. Illi vero qui integram gerunt vitam, scelerisque puri sunt, dum abest causa illa atque fundamentum, minime quoque tam facile eidem subjici, nec tantas noxas exinde concipere possunt. Quare

re facile apparet, homines pios, quorum incontaminata conſcientia nihil metuit, nilque timet, quorum animus totus voluntati divinæ deditus, omnia infortunia æquo fert oculo; nullatenus tantis calamitatibus ex terrore in ſanitatem redundantibus eſſe obnoxios, quam quidem alios.

§. XIV.

Sed convenientiam medicinæ cum pietate in conſervanda ſanitate etiam ex reliquis rebus non naturalibus, & ſecundum ordinem, ex aëre demonſtrabo. Aërem mortalibus neceſſarium ſemper ac inevitabilem eſſe, ex phyſiologia conſtat, non obſtante embryonum in utero, ac hominum ſub aquis viventium vita. Aër quidem cum legitime ſit conſtitutus, per ſe nullam ſanitati affricat labem; a... cum ſæpius per magnum quendam terrarum tractum variis impuris, heterogeneis & mixtioni animali infenſis particulis ſit ſtipatus; evenit etiam ut morbos producat malignos, epidemicos, quos certa ratione nec pii effugere poſſunt. Verum enim vero multoties contingit, ut per ipſam hominum culpam morbi ex aëre contrahantur. Cum parcus & tenax ingruente hyeme in aëre humido, frigido nimboſo ruinam ſanitati minante propria ſæpe culpa detrimenta valetudinis ſibi contrahat; delicatulus contra illo tempore aëris injurias nimium metuens, fornaci calido affixus quaſi hæreat, & ſic efficiat, ut neceſſitate urgente vix tandem domo egreſſus, ſtatim magnas in ſanitate ſentiat mutationes; cum tandem & alius aëre abutatur ad ſanitatis detrimentum, præprimis per veſtitus vitia; (de qua re *conf. Diſſ.* ſub *Dn. Præſide* habita, *de Veſtitus vitiis morborum cauſis*,) homo pius adminicu-

lis,

lis, & integumentis justo ordine ac legitimo usu secundum voluntatem divinam adhibitis, effugit omnia ista mala, quæ aliorum propria culpa ex aëre sibi contrahit: ut nihil dicam hoc loco, quod magni utique momenti est, Deum non raro pios singulari protectione sub grassantibus morbis salvos & immunes servare. juxta Psalmum XCI.

§. XV.

Tertia classis rerum nonnaturalium est cibus ac potus. Quemadmodum vero hi a benigno creatore ad conservationem vitæ ac sanitatis hominibus concessi sunt, adeo ut absque iis vita consistere nequeat, exempla enim eorum, qui aliquandiu sine ciborum assumtione vixerunt, ut aliquid extra ordinem naturæ positum, huc non pertinent: ita e contrario nemo negabit, ex illorum illegitimo usu ac luxuria plurimos imo pertinacissimos progenerari morbos. Cibi potissimum nocent vel nimia copia, vel luxuria. Quod prius concernit, suaserunt jam veteres, ac inter illos præcipue Galenus, ne unquam ad plenam satietatem usque edamus: quod ad luxuriam, inter omnes convictum est, simplicem ac tenuem victum omnium optime conducere. Ex quo fundamento quoque factum fuisse viri docti putant, non exclusis quidem aliis concurrentibus causis, ut Patriarchæ tam longam & sanam egerint vitam. Hinc & Germani veteres constantiori fruiti sunt sanitate, quam nosmet hodienum: quare etiam Tacitus de moribus Germanorum effatur, quod & simplicibus cibis sine apparatu & blandimentis expellant famem. Conferas quæso laboriosum simplici victu viventem, cum eo, qui nil nisi grata appetit fercula, ac cibis delicatis, aromatisatis & vix amplius inveniendo artificio paratis cor-

pus

pus ſuum ſaginat: quis meliori fruetur valetudine? ad ejusmodi luxurioſam diætam inter naturales homines præſertim inclinant voluptuoſi & ambitioſi, inclinaret & avarus, niſi impediret reſpectus pecuniarum, qui ſupra citatam Galeni regulam optime ac exactiſſime obſervaturus, in altero peccat extremo, & id detrahit ſuo corpori quod tamen neceſſarium. Sic miſeri homines illud, quod iis ad conſervationem corporis datum fuit, non niſi ad ſui miſeriam ac interitum adhibent: cum ille, qui eſculenta eo fine eoque ordine, quo data ac præſcripta ſunt, in ſui uſum convertit, illud inde deportet emolumentum, ut illibata gaudeat ſanitate: *conf. Dn. Præſidis diſp. de Longævitate ex Diæta.*

§. XVI.

Pari ratione ſe res habet cum potulentis: haud enim ſatis explicari poteſt, quam fœcunda multorum malorum mater eorum ſit abuſus, & quidem primo potuum illorum vegetabilium exoticorum apud nos fere epidemicus factus. Non quidem negabo, eorum moderatum uſum congruo tempore ac legitimo ordine ſanitati, & conſervandæ & reſtituendæ inſervire poſſe; attamen ſcriptis obſervationibusque evictum conſtat, niſi horum decoctorum tam magnus apud nos eſſet abuſus, nec tam irregulares nobis ſæpius ſe ſiſterent morbi. Conferatur *Dn. Præſidis diſſert. de Uſu Potus Coffee noxio.* Quid mali porro, quasque turbas cereviſiæ noſtræ ſpiſſæ, fœculentæ, lupulatæ, aromatiſatæ, potusque ſpirituoſi, vinoſi, ardentes perverſo & inconſulto ſuo uſu ſanitati inferre valeant, nemo fere in dubium vocabit, præſertim ſi ad

ebrietatem, monſtrum illud belluini illorum abuſus, cogitationibus noſtris perveniamus, qua in re hæ paginæ ſane nimis ſunt anguſtæ, ut explicentur damna, quæ mox ebrietatem inſequuntur vel lento quoque gradu illam excipiunt. *vid. Dn. Præſidis Praxis extemporanea Caſ. X. de damnis ex abuſſu & ſucceſſiva ardentis ſpiritus ingeſtione p. 1013. & Caſ. XIII. de ebrietate p. 1033.*

§. XVII.

Refertur quarto ad res non naturales motus & quies. De motu jam Plutarchus ait, quod labores caſu objecti nonnullorum valetudinem exercitatione reddiderint firmiorem. Quis quæſo magis ægrotat iis, qui deſidem ac otioſum degunt vitam? & quis melius valet, quam qui in ſudore faciei panem edit? Nulla ſane præſtantior medicina & in avertendis & curandis quibusdam morbis, quam labor & ſufficiens corporis motus. *vid. Dn. Præſidis diſp. de Longævitate a motu corporis.* Sicuti autem labor ſanitati confert; ita etiam quies maxime neceſſaria eſt, ſiquidem ſine ea pariter vires labefactantur, ac ſanitati præjudicatur. Peccant vero homines hac in re vel in exceſſu vel defectu, vel in utroque ſimul. Ii, quorum Deus Venter eſt, deliciis ac otiis ſuis humorum inſpiſſationem, obviſcationem, obeſitatem, torporem aliosque varios ex his propullantes morbos ſibi conciliant, dum e contrario alius avaritia impellente, continuis laboribus corpus defatigat, imo pauculas horulas quieti deſtinatas ſaltem animo inquieto turbat, quo fit, ut totus habitus corporis emaceratus, oculorum lumina retracta obſcurataque, aliaque ſymptomata ac morbi producti appareant.

Aliud

Aliud hominum genus mox in otio deliciisque laute vivit, mox vero, ſi falſus iſte, quem ſibi concipit, honor (point d' honneur) requirit, in laboribus eſt indefatigabile, iisque ſubitaneis mutationibus id efficit, ut humoribus per otia copioſioribus ac ſpiſſioribus redditis, partes ſolidas debilitatas ac languidas in nimium reducat motum ac ſtricturas, indeque in periculoſas inflammationes, ebullitiones, febres &c. incaute incurrat. Aſt homo pius ordinem divinum ſervans, mediam tenuensque viam, præ hiſce, & motus & quietis ratione, illibata gaudebit ſanitate.

§. XVIII.

Idem judicium de ſomno & vigiliis ferendum eſt, tanquam quinta claſſe rerum non naturalium. Nimiis etenim vigiliis vires & lymphatici humores conſumuntur, ut nutritio haud commode perfici queat; hinc ejusmodi vigiles ſemper ſunt macilenti, ut & in cuſtodibus, qui nocturnas vigilias agunt, obſervare licet: præterea ſi vigiles ejusmodi noctes cum mœroribus ac ærumnis conſumuntur, & deliria & febres acutæ aliaque ſontica mala excitari poſſunt. Quemadmodum vero hæ cogitationes reſpiciunt præcipue avaros ſordida illa pecuniarum mancipia: ita e contrario, ſi conſideramus voluptuoſos, hi nimio ſomno tempus ſæpe conſumunt, aſt, & ſomni abuſus nocet, reddit enim homines pigros, laborum pertæſos, ipſumque hebetat animum, ac ſi uno dicam verbo, ipſos Sardanapalos producit. Tandem ſexto inter res non naturales numerantur excreta & retenta: quæ vero proprie ac ſtricte noſtræ meditationi non ſubjacent, neç peculiari

hoc loco indigent explicatione, ex prioribus quoque fluunt, quæ de his dici merentur. Quicunque enim ordine ac temperantia utitur edendo & bibendo, motu ac quiete, vigiliis ac somno aliisque: ille bene appetit; qui vero bene appetit, bene etiam digerit; & qui bene digerit, bene quoque egerit, adeoque etiam sanus vivit.

§. XIX.

Ex hisce hactenus prolatis abunde patebit, quantam præcellentiam homo pius habeat in sanitate sua conservanda tam ratione animæ, quam rerum non naturalium: non minus elucescet, quantas noxas avaritia, ambitio ac voluptas sanitati inferre possint. Ex quo sequitur, quod horum vitiorum consideratio medica minime sit inutilis. certissimum enim est, quodsi homines secundum sanam duntaxat rationem viverent, longe minor morborum illos prementium esset numerus: jam vero cum ex Theologia ceu verum supponimus, quod homo sibi relictus vitia voluntatis ante dicta penitus corrigere nedum abolere nequeat: hæc vero vitia in pervertenda sanitate multum efficere, supra ostendimus: quis inde non videt optimam convenientiam Theologiæ practicæ cum Medicina. Sed ulterius prosequemur hanc materiam, & paucis ostendemus, pietatis utilitatem in præservandis ac curandis morbis.

§. XX.

Cognitum est, & a rerum medicarum scriptoribus abunde evictum, quod plurimi sint morbi, qui data quadam sæpius levissima occasione, iterum recrudescunt, ac pristinam, imo nonnunquam deteriorem ludunt scenam.

Qua-

Quare etiam datæ ſunt a peritis medicis regulæ, quibus obſervatis, ejusmodi morbi præſervantur. Quum igitur diximus, eam eſſe pietatis cum medicina convenientiam, ut etiam influxum habeat in morbos præſervandos; videndum eſt, qua ratione id contingat. Scilicet hoc ſenſu præſervatio morbi nihil eſt aliud, quam evitatio cauſarum occaſionalium, ex quibus morbi recrudeſcunt. Quæ vero ſunt hæ cauſæ occaſionales? omnium ſane conſenſu nullæ fere aliæ, quam abuſus rerum non naturalium, & inter eas præcipue animi pathematum. Sic enim, ſi quis v. gr. febre quadam intermittente laboravit, eaque ſuperata vel ſtomachum nimia ciborum farragine replet, vel iracundiæ aut mœrori indulget; quid frequentius eſt, quam ut iſta febris recurrat? Si porro quis malo hypochondriaco detentus, ab illo penitus liberatus fuit, dein vero iterum vitæ otioſæ, ſedentariæ, triſtitiæ, mœroribus ſe tradit, vix aliter fieri poteſt, quin priſtino iterum corripiatur malo. Si igitur verum eſt, abuſum rerum nonnaturalium ad morborum recrudeſcentiam contribuere, verum etiam eſt, quod ille omnium optime morbos præſervare poterit, qui optime rebus non naturalibus utitur. Hoc artificium vero neminem melius callere, quam pios homines, ex ſuperius commemoratis patebit.

§. XXI.

Adhuc ſupereſt ſignificatus præſervationis præcipue in morbis malignis, contagioſis, populariter graſſantibus, ubi præſervatio denotat illam providentiam, qua ſummo ſtudio cavere nobis adnitimur, ne corripiamur il-

lo graſſante morbo, qui plurimos corripuit. Multæ jam artes ſunt excogitatæ, quarum auxilio morborum talium malignorum peſtilentialium nimiam ſtragem præſervare intendimus. Omnibus vero illis palmam præripiet animus intrepidus ac firmus, videmus enim illos, qui nimio metu, ac anxia imaginatione laborant, omnium facillime morbis his affici. Ecquis autem conſtantiorem animum habere poteſt homine pio: hic ſe totum tradit divinæ voluntati; hinc nec morbum nec mortem timens, aliquando medios inter ægrotos ac eorum tumulos officio ſibi demandato fungitur, nec tamen morbo graſſante corripitur. Interim nec laudamus eorum audaciam, qui Deum magis tentantes frivole ſine neceſſitate cuicunque ſe tradunt periculo: voluit enim Deus, ut ad ſanitatem conſervandam obſervemus etiam regulas, quas ſana ratio ex attenta experientia ſuppeditat. *conf. B. Lutherus in Geneſ. XIII. 8. 9.* GOtt will nicht, daß jemand an ſeinem eigenen Leib ein Mörder werden ſoll, ſondern will, daß man denſelbigen ſchonen, ja auch darnach regieren und ſich halten ſoll, damit er ſeinem Beruff und Dienſte des Nechſten genugſam ſeyn kan. *vid. Dn. Præſidis Jurisprud. med. Tom. I. Part. I. c. 16. de avtochiria medica.*

§. XXII.

Tandem vero etiam pietatis cum medicina nexum in ipſis morbis facilius ſuperandis oſtendam. Si ut Chriſtiani morborum curationes intueamur, reperiemus, illas tribus potiſſimum abſolvi momentis, nempe 1) benedictione divina; 2) medicaminibus, 3) legitimo uſu rerum non naturalium. Nam adhibeas omnem diætam,

omne

omne regimen, omnia medicamenta, panaceas, polychresta, universalia, omnem totius pharmaciæ panopliam, his omnibus ne levissimum quidem curabis morbum, nisi divina adfuerit benedictio, quam vero si tibi polliceri potes, durissima propelles mala. Hinc ante omnia ab ægro divinum auxilium submissis expetendum est precibus. *vid.* Heinrich Müllers Erquick-Stunden 72 Betrachtung von der Krafft der Artzeney durch GOttes Wort und Seegen. Hoc nobis Salvator noster sub ipsius exemplo demonstravit: ille enim ipse, quando male habentes curare voluit, supplex prius divinum sibi expetiit auxilium; dein, ipsi etiam ægri debebant illum precibus implorare. Hinc etiam Regi Assæ Chronicor. Cap. XVI. vitio vertitur, quod, cum pedibus laboravit, non Dei auxilium quæsiverit, sed solis medicis confisus fuerit: quare etiam eam ob causam illum mortuum fuisse legimus. Contra vero notatu dignum est Regis Hiskiæ exemplum ex Esaiæ Cap. XXXVIII, qui, cum adeo periculoso laboraret morbo, ut etiam mors a propheta Esaia ipsi fuerit annunciata; precibus tamen ad Deum fusis id effecit, ut pristinæ sanitati restitueretur, & aliquot adhuc anni vitæ suæ adderentur. Quare etiam *Augustinus* dicit: *qui sine Salvatore salutem vult habere, non sanus sed æger, non prudens sed stultus in assidua laborabit ægritudine.* Et *B. Lutherus* in Cap. XXXVIII. Syrac. v. 10. & 13. Erstlich werde fromm, zum andern laß vor dich bitten, zum dritten brauche des Artztes. Beten hilfft mehr, als artzeneyen, und der Priester thut mehr, als der Artzt, aber man ist nicht gern

fromm,

fromm, darum achtet man des Betens und der Priester weniger. Certe enim ni Deus adfuerit, viresque infuderit herbis, quid rogo Dictamnus, quid panacea prodest? Quodsi ergo divinum auxilium in morbis debet implorari, quis quæso illud meliori fiducia sibi polliceri poterit, quam homo pius, qui jam certo persuasum habet, sibi Deum esse propitium.

§. XXIII.

Expetita itaque divina benedictione ad ipsum medicamentorum usum pergendum est. Velle Deum ut præter ipsius implorationem adhibeantur medicamina; non solum in multis sacræ scripturæ locis expressis indicatur verbis, verum etiam exemplis corroboratur. Sic certe citatus Hiskias potuisset omnipotenti Fiat sanari, ast hoc non fecit Deus, sed Esaias debuit emplastrum parare ac loco affecto applicare. Ita quoque ipse Salvator, cum per solum ἔφατα potuisset muto sermonem; per solum Surge & ambula claudicanti vim ambulandi, &c. restituere: nihilo tamen minus ejus Sapientiæ placuit in nonnullis affectibus adhibere materialia subjecta, quæ tamen effectum salutiferum haud præstiterunt, sed ipsius divina benedictio. Hinc non pietati adscriberemus, si quis putaret, se ex sola benedictione divina sanitatem recuperaturum; eamque ob causam omnium remediorum usum respueret. Alii dicere possent, unicuique vitæ suæ terminum esse positum; hinc si iste, quo laborant, morbus non esset ad mortem, se, licet nullis uterentur medicaminibus, tamen sanitatem fore recuperaturos: si autem mortis adesset hora, omnia incassum

caſſum adhiberentur medicamina. Verum quidem eſt, quod contra vim mortis, nec in hortis nec in Chymicorum laboratoriis ſit medicamen: ſed quis quæſo tibi revelavit, hunc tuum morbum ſimul mortis horam involvere? Reſpondebis, ſi non involvit, ſine medicamentis reconvaleſcam; ſi involvit, quid illis opus? Aſt, nequidem jam disquiram, an non morbus, qui vitæ tuæ terminum non involvit, negligentia tua fieri poſſit lethalis: ſed id tantum urgebo. Ponam, morbum tuum non eſſe ad mortem; nonne vero melius erit, eundem breviori tempore, minori moleſtia ac mitigatis doloribus ſuperare, quam illius acerbia per longum tempus vexari? At, prius efficimus medicamentis. Licet enim non negandum ſit, benignam naturam ſæpius quosdam morbos ſponte profligare, id tamen non de omnibus valet, & ſi quoque valeret, melius tamen ſemper ſuccedet negotium, ſi naturæ miniſter illi auxiliatrices præbeat manus.

§. XXIV.

His in parentheſi dictis, ad tertium momentum, quod morborum curationes abſolvit, pervenimus, quod eſt legitimus rerum non naturalium uſus. Quemadmodum enim ille in ſanitatis conſervatione magni uſus eſt; ita incredibile dictu, quanta efficacia in ipſis morbis medicamentorum vim adaugeat. Quid autem e contrario magis corruptos, complicatos, chronicos ac pertinaces morbos reddit, quam diæta inordinata, regimen incongruum, ac præcipue animi pathemata? Hæ ſunt larvæ, quæ morbis plane aliam reddere poſſunt faciem, ac medico experientiſſimo valde imponere. Sic ſæpius contingit, ut morbi indole ſua plane benigni ex animi pathemati-

bus ita invertantur, ut ſpeciem malignorum adipiſcantur.

§. XXV. Præcipue vero morborum curationem difficiliorem reddere poſſunt ac intricatiorem mali mores, homo enim illis indulgens, impatientia, moroſitate, inquietudine aliisque voluntatis vitiis, experientia teſte, ſemper placidum pervertit morbi decurſum, illumque facit intricatiorem ac difficiliorem. Sic, ut aliquos tantum commemorem, fieri poteſt, ut avarus parcens expenſis, nec medicamenta nec diætam ægro convenientem adhibeat, aut ſi ex metu mortis iisdem utatur, ſemper tamen curis ac ſollicitudinibus afficiatur. Meticuloſum autem & ærumnoſum talem animum morbum reddere deteriorem, experientia conſtat. Ita quoque voluptuoſus haud didicit adverſa ferre, hinc nec dolores tolerare valens, ſumma corripitur impatientia; hinc jectitabundus ſalutares excretiones turbat; quid? quod nonnunquam gulæ detrahere nolens, nec ab illis cibis abſtinere valet, qui eximium morbo minantur detrimentum. Alius denique, quemadmodum minime parcendo valetudini, (qua in re falſo gloriam quærit) ſæpius ſibi contraxit morbum, ita quoque pariter in morbo ipſe ſibi nocet, dum ante plenariam curam poſt aliqualem tantummodo morbi remiſſionem, hunc nihili amplius faciens, ſæpiſſime ea audet, quæ omnia iterum pervertunt atque corrumpunt.

§. XXVI. Aſt homo pius ſanitatem æſtimat, & ceu magnum bonum, quantum in ſe eſt, conſervare ſtudet: hinc quoque medicum honorat, quem Deus eum in finem creavit, ut ſanitati ſuccurrat; hinc etiam præceptis illius obedientiam præſtat, ac omnia, quæ morbo remoram ac ſanitati detrimentum cauſantur cane pejus ac angue fugit. Singula-

gularis porro illius virtus, qua multum proficit in debellandis vel ſaltem facilitandis morbis eſt patientia. Certus enim eſt, quod morbos qui ipſum corripiunt, non ſola propria culpa ſibi contraxerit, ſed ſimul ex paterno Dei amore ceu lenem caſtigationem ac virtutis explorationem illos accipit, adeoque tolerat ſumma cum patientia calamitatem ſuam. Et quam præſtans hoc eſt remedium in morbis doloroſis, ſpaſticis, arthriticis, in affectibus inflammatoriis ut & febribus acutis &c. ubi dolor aut moleſtus æſtus nimium torquet! Notum enim eſt, quod in ejusmodi morbis, clamores, angores, ejulatus, actiones inquietæ, jectitationes impatientes &c. multum contrarientur curationi. Homo pius porro morbos chronicos non minus facilius ſuperat, conſtat enim, illos optime per congruam diætam, bonum regimen, ac temperantiam in animi affectibus eradicari poſſe; quæ cuncta omnium optime præſtare valet pius. Poterit quoque & acutos febriles ac inflammatorios morbos ſuperare facilius, dum bonum regimen, ſpecificum febrium acutarum medicamen, magna cum patientia exacte ſervabit. Quin & in ipſis malignis, quorum difficilem curationem ac lethalem eventum ſæpius anxia imaginatio, ac metus mortis producit, ſummam habebit præcellentiam, dum remiſſionis peccatorum ſuorum ſibi bene conſcius, cum Deo reconciliatus nihil amplius timet.

§. XXVII. Sed ſubſiſtam adhuc paululum in illis morbis, quorum periculoſa ſymptomata ancipitem infauſtum & lethalem eventum minantur. Conſideremus, ſi his accedunt tormenta conſcientiæ; quid quæſo efficietur? Si adhuc vegeti fruamur ſanitate, & peccatorum reminiſcen-

tia, ac divina vindicta menti manifestatur: quantas jam tum motuum vitalium experimur alterationes? quas optime expressit sacer codex, quando passim de tali homine dicit: Die Gebeine desselben erschrecken, er werde müde von Seufftzen, seine Gestalt verfalle, seine Gestalt werde alt, seine Krafft verfalle, und seine Gebeine verschmachteten, es sey nichts gesundes in seinem Leibe, seine Lenden verdorreten, sein Hertz bebe rc. rc. Dum vero hujusmodi conatus conscientiæ homo sæpius in sanitatis statu rejicit, iisque resistit: contingit ut præter opinionem ancipiti quodam casu & morbo oppressus deinceps tanta vehementia accusationes conscientiæ, fluminis instar, erumpant, quo motus vitales simul adeo alterantur, ut ipsa sæpius vita, forte conservanda, hisce aboleatur. Hanc conscientiæ fluctuationem, sollicitudinem atque angorem omnes homines, qui contra ejusdem leges agunt, experiri debent, & quamvis quidam fuerint, qui hanc inquietudinem abolituri, Dei existentiam negarunt, quoniam testimonia suæ conscientiæ in ea fundari perceperunt; ante ultimum vitæ suæ terminum vel nolentibus vel volentibus ipsis tamen manifestatum se dedit, & illos hoc tribunal conscientiæ omnino agnoscere. Ast homo pius, tantum abest ut ejusmodi conscientiæ tormentis in tranquillitate conturbetur, ut potius dulcedinem divinæ gratiæ atque auxilii sentiat, quæ magnum ipsi confert emolumentum in ipsius morbi curatione, lætatur enim illa, & vires morbo prostratas recuperat.

§. XXVIII. Inter ea momenta, quæ utilitatem & influxum pietatis in medicinam testantur, referendus etiam est partus. Est ille actus tam ancipitis sæpe eventus, ut omni momen-

mento mors præſens ſit. Nihil in tali ſtatu, feliciorem eventum producere valet, quam tranquillitas mentis & reconciliatio cum Deo. Impatientia vero, inquietudo, ejulatus motus ad partum pertinentes reddunt irregulares, quorum irregularitatem atque anomaliam, ſi conſcientiæ tormenta accedunt, eximie augent. Et ſic propria ſæpe culpa vitæ ſuæ periculum faciunt miſeri homines, qua via pius homo illud non incurrit, & ſi aliquando jam obſtrictus hæret, facilius hoc vel illo modo ſe extricare ſcit, calamitatem ſaltem ipſe non adauget, quemadmodum de illis hactenus a me expoſitum eſt.

§. XXIX. Quod ſi vero etiam ad ipſam mortem ventum ſit, quem nemo mortalium effugere poteſt, quis majori felicitate eam ſuperabit, quam homo pius. Nihil quidem eſt, quod adeo reformident homines quam mortem & reapſe ſæpius duriorem imo acerbiſſimam experiuntur, idque maxime pro diverſitate temperamentorum: ſic melancholici pro dura ac pertinaci ſua indole duram habent mortem; Sie ſterben eines ſchweren Todes, Cholerici contra præcipiti ac impetuoſa abripiuntur morte. Et ſi cauſam hujus rei perpendimus, aliquando non alia eſt, quam hujus vitæ amor & æterni cruciatus, quem conſcientia prænunciat, metus. Dum autem homo pius nihil magis optat, quam ut terrenis his vinculis ſolvatur, & æternam requiem nanciſcatur; ſummo gaudio hanc vitam deſerit, adeoque mors ipſi eſt placidus ſomnus, æterni gaudii initium, ac omnium calamitatum, quæ vitam mortalium premunt, exoptatiſſimus

FINIS.

NOBILISSIMO

DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

PRÆSES.

NE *ſitis ut alieni appetentes*, æquum monitum eſt Apoſtolicum *I Petr. IV. 15.* aſt quando Medicus condigne & juxta S. S. normam de rebus Theologicis diſſerit, & vita Theologo digna inclareſcit, ut *luceat ejus lux apud homines, ut illius recte* (non ſpurie) *facta videntes, collaudent patrem, qui eſt in cœlis Matth. V, 16.* tunc non rei alienæ ſe immiſcet, quia cognitio & exercitatio pietatis aut Theologica omnibus hominibus a Moſe, Pſalmiſta, Prophetis, Chriſto & Apoſtolis demandata eſt, & *utinam totus Jovæ populus, Ejus ſpiritu afflatus vates ſint. Num. XI. 29.* Clerici vero facile judicium illud, quod alieni appetentes ſint, in ſe devolvunt, quando præmatura officioſitate ſine ulla neceſſitate exercitio Medicinæ ſe immiſcent; *nemo militans ſeſe vitæ negotiis implicat. II Timoth. II. 4. conf. Dannhauer Lact. Catech. Part. II. Conc. 39. p. 326. Caſp. Bravo de Medic. dogmat. præſt. p. 89. ſq.* ventilat hanc quæſtionem: *Utrum de jure communi Clericis liceat exercere Medicinam: vid. judicium* de Paſtoribus Medicinam exercentibus *Lentilii Miſcell. Med. Pract. p. 608 -- 617. Rhetii diſp. de Medicis cap. I. §. 8. Rei enim alienæ ſe immiſcens culpa non caret L. 36. ff.*

de

de R. I. Discite vos Medici, Pietatem & discite versum: esse decet doctum, sed magis esse pium; fusius de hoc themate egi in *præfatione de Luca Medico* Medicinæ Theologicæ a me ante aliquot annos editæ præfixa. Et Tu CLARISSIME CANDIDATE recte agnovisti Pietatem ad omnia utilem esse atque necessariam. Fortassis plus una vice ex ore meo audivisti, me velle utpote Theologiæ nec Baccalaureum, nec Magistrum, nec Doctorem, sed studiosum, vitam cum morte mutare: Tu itaque laudando & probando conatu *Medicinæ convenientiam cum Theologia Practica* inaugurali hoc Specimine explicasti: insuperque indolem Tuam probam ac ingenuam declarasti: combinasti egregio tuo exemplo & studiorum curriculo, quo nobis innotuisti, Theologiam Practicam & Medicinam, nec aliquam occasionem indies plus ultra in utroque stadio procedendi & proficiendi prætermisisti: indefesso studio huc usque Medicinam excoluisti insuperque solidos profectus acquisisti, nec primis labris aut superficiarie & perfunctorie gustasti & tractasti, quæ ad naturalis salubritatis cognitionem, tutelam & promotionem spectant: Gratulor Tibi de prospero vitæ Academicæ exitu, de pulchro Scientiarum thesauro, & promeritis honoribus Doctoralibus; Gratulor mihi de auditore optimæ famæ ac spei, Gratulor Patriæ de Medico pio, docto & ingenuo, Gratulor Tuis de felicitate & divina benedictione, quæ imposterum bona de Te Tuisque conatibus promittit omina: & quemadmodum *pietas omnium potentissima est* Sap. X. 12. ita *te ipsum ad eandem exerceto, quia promissionem habet & præsentis & futuræ vitæ.* Comitetur probos tuos labores cœlestis

illa

illa benedictio prosperrimis successibus: quod reliquum est, quia in præsenti Specimine Theologiæ Practicæ mentionem fecisti, ita pro Spirituali propria Tua ædificatione *B. Porstii Theol. Practicam Viatorum*, ast pro ulteriori artis Medicæ Cultura, pii Medici *Sennerti Opp. Med.* de reliquo etiam *Boylei Medici* Scripta Theologica Tibi commendo: & ita sub perenni divina benedictione & directione integra animi ac corporis firmitate & sanitate fruere. Dab. Halæ Magdeb. IX Kalend. Januarii A. O. R. cIɔ Iɔcc xxxIII.

Es grüne Phœbi Ruhm und blühe dessen Glücke
Durch dessen Fleiß und Kunst ein ächtes Meister-Stücke
Heut unser Saal-Athen mit neuer Lust erfreut,
Und Hygiænens Lob auf seltne Art verneut.
Ich meine Dich mein Freund! das innigste Vergnügen
So Deiner Tugend Glantz und Dein gelehrtes Siegen
In meiner Brust entzündt, belebet Kiel und Mund,
Und macht Dir diesen Schluß und Prophezeiung kund:
Wer so, wie Rothens Geist, den Purpur würdig zieret,
Und wen Verdienst und Kunst zum Ehren-Tempel führet,
Dem wird und müsse es beständig wohlergehn:
Weil Tugend Witz und Glück' stets beyeinander stehn.

Mit diesen wenigen Zeilen wolte dem Herrn Doctorando als seinem Hochwehrtesten Freunde und Gönner seine schuldigste ergebenheit eilfertig doch in aller aufrichtigkeit bezeugen.

P. C. H. D.

